

fulunt. Qua clade Genuæ renuntiata, statim uni-
 versa Civitas in arma prorupit. Sunt qui existi-
 ment, si Alexandrini cum Derthonensibus certo iti-
 nere illuc properassent, Genuam se illis dedituram;
 tantus erat pavor, qui ob pugnae infelicitatem, &
 multorum necem, civium illorum animos præoc-
 cupabat. At Prætor illius Reipublicæ, quamvis ad-
 versa valetudine laboraret, ibi restituta tranquilli-
 tate, præeuntibus tædis, cis Jugum se contulit,
 Gaviūque, & aliæ suæ ditionis oppida bene mu-
 nivit. Quo etiam anno cum Genuenses ex digni-
 tate Reipublicæ suæ viderent subsidia Astensibus
 suis confœderatis mittere, ac eisdem suppetias, ut
 ex conventis tenebantur, ferre, exercitu iterum per-
 lustrato, milites gravis armaturæ ducentum compa-
 raverunt a Thoma Sabaudia Comite, qui cum eisdem
 pepigerat, secum numerum subministraturum,
 seque adfuturum. Interim unusquisque eques scuti-
 ferus binos, & puerum alterum habebat in com-
 meatu, quibus stipendii nomine sexdecim libræ Ge-
 nuenses repræsentabantur, & Ducis nomine quin-
 quaginta; & ipsi Comiti centum marchas, & præ-
 terea equos amissos refarcire. Sed Comes ipse ob
 adversam valetudinem minime potuit interesse. Cum
 Genuensibus vero aderat Lotharingus Martinengus
 Brixienfis cum equitibus quinquaginta, & quilibet
 ipsorum tres scutiferos, & duos pueros bene ar-
 matos cum binis equis habebat. Aderant & in hoc
 exercitu Lavagnæ Comites Vassalli omnes, quos
 Genuenses in Lunetana regione habebant, nec non
 Vintimiliarum Comites, Otho, & Henricus Carretti
 Marchiones, Otho Clavesanæ Marchio, & Mar-
 chiones Cevæ cum Gulielmo Boschi Marchione,
 homines Garetii vallis Tanari, & multi præterea
 alii Marchiones, & Nobiles, qui Gavio ubi omnis
 exercitus convenerat digressi, Astam civitatem ad-
 verunt cum tercentis equitibus, quorum quisque
 binos scutiferos bene armatos cum Catone, & vi-
 ginti sagittarios equestres, & centum pedites habe-
 bant, quo præsidio freti Astenses, non tam Civi-
 tatem suam tutati suat, quam in Albenfes incur-
 sionem ad portas usque fecerunt, illosque multis
 incommodis affecerunt. Non tamen Alexandrini, &
 Derthonenses hoc tam magno belli apparatu ter-
 rentur; imo Serrayallis una cum ducentum militi-
 bus gravis armaturæ coiverunt, ac sub tanti exer-
 citus oculis Arquatum, qui sub Gavio contineba-
 tur (id erat Genuensium oppidum) obsident; quo
 Genuensium Prætori visum fuit, ut hostes ab Ar-
 quati obsidione averteret, Montanarium Dertho-
 nensium oppidum situm loco præcipiti, ac declivi
 obsidione cingere. Illud vi expugnari posse perdis-
 ficile videbatur, cum scalæ sine summo nisu vix
 admoveri possent; ipse tamen cum Catapulta (quod
 trabu hellum appellant) adoriri nisus est, eo eventu,
 ut post octo dierum obsidionem Genuensibus oppi-
 dani, salvis vita, & opibus, quæ secum asportare
 poterant, deditionem fecerint. Interim re ad Ale-
 xandrinos, & Derthonenses delata exercitum dis-
 solvere visum fuit, illis ut fines suos tutari possent,
 isti ut belli eventum perspicerent, auxilioque op-
 portuno adessent, atque oppida sua tutarentur a
 Genuensium incursionibus, qui Gavii cum exercitu

commorabantur. Quo factum fuit, ut de mense
 augusti Gulielmus Malonus, Federicus Grillus, duo
 Legati ex octo, quos Respublica delegerat, dum
 stipendium exercitui persolvere vellent, Boschum
 adorti maximam illo expugnato inde prædam abji-
 cerent, statimque se fugæ mandaverint, Genuam-
 que redierint. Eodem quoque anno de mense octo-
 bris Jacobus Picamilius unus ex octo viris delectis,
 qui Capriatam custodiebant, cum militibus stipen-
 dium afferret in Alexandrinorum insidias fere inci-
 dit in diei crepusculo, quas milites Alexandrini
 prope plebem Lemerii in nemore Gazoli tetende-
 rant, sed eis detectis a præcursoribus, quadraginta
 captivi Genuam ducuntur, reliqui sibi armis viam
 ad salutem aperuerunt.

MCCXXVII. Continuabatur bellum inter Ge-
 nuenses, & Alexandrinos, ac confœderatos, in dies-
 que magis exardescerebat: & propterea maximus
 utrinque armorum apparatus fiebat. Sed interceden-
 tibus Placentinis Genuenses ob ingentes eorum ci-
 viles discordias in Mediolanenses compromiserunt.
 Eodem anno die nono novembris (1) cum minime
 par esset, ut finitimæ Civitates continua inter se
 bella gererent, compromissum est de summa discor-
 diarum a Republica Alexandrina, Albenfi, & Der-
 thonenfi ex una, Placentinis Legatis societatis Lom-
 bardia id summa animorum contentione exigenti-
 bus, scilicet Alberto Rusollo, & Rugerio de Bo-
 nifaciis; ex alia vero Genuensi, & Astensi in com-
 munes arbitros, scilicet Rempublicam Mediolanen-
 sem, ac pro ea Buccatio Brema, Guifredo Piro-
 vano Reipublicæ nomine recipiente, ac Lanfranco
 de Pontecastello præturam Mediolani agente, ma-
 xima indicta pœna iis, qui iudicato non starent.
 Eodem, quo dictum est supra, die, & anno Con-
 siliū Mediolanense per Legatos suos in præsentia
 tamen totius Consilii talem protulit sententiam; ne
 Alexandrini vestigal Gavii Genuensibus persolve-
 rent, Genuensesque ne illud ab Alexandrinis exi-
 gerent; quibus auxilium ferre pro Montaldi, Ga-
 vii, Amelii, Taxaroli, Pasturanæ defensione, via-
 que munitas, ac securas reddere per locum Gavii
 deberent; Genuenses ne molesti essent Alexandrinis,
 vestigalve aliquid Genuæ persolvere cogere, hoc
 tamen adjecto, ut liceret eisdem quotannis libras
 sexcentum Papienses (2) persolvere, & se a dicto
 nexu immunitatis liberare; cæterum quod Ansel-
 mus, & Ruffinus filius de Foro cives Alexandrini
 haberent in suprascripta vestigalia libras quinquaginta
 Papienses, quas Alexandrini de memoratis libris
 sexcentis a Genuensibus dandis eisdem repræsentarent,
 quas si Anselmus, & Ruffinus recusassent, reliquum,
 quod a Genuensibus præstandum, consequerentur,
 quousque eisdem de suo credito, satis esset
 factum pro vestigale Gavii; cæterum quod dicti
 pater, & filius cederent omne jus (3) Genuensibus,
 quod habebant in dicto vestigali; quodque Genuen-
 ses persolverent bona fide, & ulla absque fraude
 Alexandrinis libras mille persolutas contra immu-
 nitatem pro dicto vestigali (4); utrisque præceptum,
 ut mœnia castri Capriatæ solo æquarent duorum
 mensium termino præstituto, fossæque dicti oppidi
 vallo completerent, quas a quinque annis citra fe-